Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 537
Quelle:
Copyright:

biteri ad paulam et eustochium. Initium: *Cogitis me o paula* &c. Ejus νοθειαν jam indicavi N. VIII.

XV. *fol.* 88. p. 2. Brevis Institutio de Cognatione spirituali hoc ingressu: *Sciendum quod spiritualis cognacio est propinquitas proueniens ex sacramenti dispensacione* &c. Adjecta sunt etiam bina Schemata.

XVI. *fol.* 90. ἀδεσποτως Expositio succincta *Cantici Cantic.* hujus initii: *In principijs librorum theologie tria sunt inquirenda, scilicet quis auctor. que materia. que intencio* &c. In vitula *Honorii* Presb. *Augustodun.* arat Noster, quem tamen tam parum novit, ut p. 2. *Papam* adpellet. Confer ejus Commentaria in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XX. p. 1153. Ad calcem nobis additus est ipse *Canticorum* Textus.

XVII. *fol.* 115. Excerpta e *M. Nicolai de Dinckelspühl* cum *Sermonibus*, tum Commentariis *in Quartum Sententiarum.* Priora versantur circa Sacramentum Altaris hoc initio: *Notandum quomodo sacramenti consecratio et sumpcio fieri debeat* &c. Posteriora resolvunt varios casus partim de celebratione Missae, partim de Baptismo et extrema Unctione.

XVIII. *fol.* 130. *Liber*, ut in calce, *beati Augustini Doctoris eximij De salute anime sue, De manuali verbo Dei.* Incipit: *Quoniam in medio laqueorum positi sumus* &c. Lege *Monitum* Centoni huic praefixum in edit. *Maur.* T. VI. *append. col.* 135. quae enim continet partim *Augustini*, partim *Anselmi*, *Hugonis Victor. Bernardi* sunt. Unde nec mirum Nostra ab Editis versus finem deflectere.

XIX. *fol.* 144. Medica quaedam: 1) Versus 98. sic dicti *Scholae Salernitanae* conscripti Sec. XII. Facultatis tunc celebris nomine a *Johanne de Mediolano* in gratiam Regis *Anglorum*, qui fuisse videtur *Robertus Guilelmi Conquaestoris* filius natu major e *Palaestina* redux. Initium est:

Anglicorum (Anglor.) *Regi conscripsit scola solempnis* &c.

Exempla perfectiora Versus 373. 664. 1096. quin 1239. censent pro fato Opusculorum interpolationi obnoxiorum. Vide *Ren. Moreau Prolegom.* ad *Scholae Salernit.* editionem *Paris.* 1672. 8. 2) Virtutes *Galgani*, *Zinziberis*, *Muscati*, *Caryophylli*, *Cinnamomi*, *Piperis*, *Anethi*, *Baccae* nempe Lauri, adscriptum enim germ. *Loerper*, et *Juniperi* rudi versu, qui ad *Salernitanos* non pertinet. 3) Praecepta Sanitatis cum generatim, tum contra Pestem, Arenam, Vitia Stomachi, ubi rursus germ. *Pfaffentüschl* et *Cyserwasser.*

XX. *fol.* 152. Quaesita ex omni Theologia cum suis Responsis, quae singillatim percensere non est operae pretium.

XXI. *fol.* 174. *Evangelium S. Matthaei* cum Prologo illo: *Matthaeus ex iudea sicut in ordine pri-*